





7370

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**FIDEICOMMISSO**  
**NVTV RELICTO**

1737, 14

QVAM  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
CONSENSV  
P R A E S I D E  
**Dn. ABRAHAMO KAESTNERO**  
IVRIVM DOCTORE ET PRACTICO  
IN  
AVDITORIO ICTORVM PETRINO  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITIT  
**ADAMVS Christlieb SchöN**  
GORLIC. LVSAT.  
AVCTOR RESPONDENS.

---

DIE XIV. IUNII, ANNO MDCCXXXVII.

---

LIPSIAE  
LITERIS RICHTERIANIS.

DISSERTATIO IACOBICÆ

DE

HEDIGOMMISSO  
NATURALICO

QAT

WICHTIGCOTOLYAN-CRIMIS

IN ACADEMIA FRISIANA

CONFERENTIA

PRAESEDE

DANIELI HEDIGOMMISSO

CONFESSORIS ET CONSULTORIS

VADICATIO IECOLYAN-TETRAG

SILVIAE HEDIGOMMISSO

CONFESSORIS

CONFESSORIS ET CONSULTORIS

CONFESSORIS

PERILLVSTRI AC EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GEORGIO ERNST  
DE GERSDORFF

DYNASTAE IN REICHENBACH, OBER-  
ET NIEDERSDORFF, OELITZSCH &c.

SVMMO IN GORLICENSI PRINCIPATV CVRIAЕ  
PROVINCIALIS FRAESIDI,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS SAXO-  
NVMQVE ELECTORIS SERENISSIMI  
CLAVIGERO

DOMINO AC MECAENATI

SVO INDVLGENTISSIMO  
DEMISSISSIME COLENDO.

PERILLVSTRIS AC EXCEL-  
LENTISSIME DOMINE!  
INDVLGENTISSIME MECÄENAS!

GEORGIO ERSNST  
DE GEERSDORFF



*Vod in praesenti TIBI,  
VIR PERILLV-  
STRIS! tenuis meae  
camenae, quae in Lipsien-  
sum tilieto se Themidi  
sacrauit, tralatitias tam  
firma animi confusione  
offeram primitias, efficit  
illa laetabilis gratia, qua  
patrem meum, sed iam humanis rebus mithique nimis  
mature eruptum, nunquam dignatus fuisti.  
Quem-*

Quemadmodum mitissimi Patroni non semper mu-  
neris pretium, sed dona potius ferentis animum  
circumspiciunt; sic, INDVLGENTISSIME  
MECAENAS! haec leuis opella, quam ego  
TIBI demississima mentis religione dedico, non  
mendoza quadam conjectura eamdem, qua genito-  
rem meum ornasti, diuinare gratiam, eamque, ut  
laetissima me lactat spes, certe assequi valet. Ego  
vero veniam a TE, VIR PERILLVSTRIS,  
expetere mili denotissime necesse habeo, cui cum gra-  
uissimorum Tuorum negotiorum catena in mentem  
venit, tum huius rei, quam Illustri nomini TVO  
inscribere religiosissime iam annitor, tenuitas ob-  
uersatur meo animo. Verum enim vero indulgen-  
tia TVA fretus iam non tantum hunc academi-  
cum libellum meum TIBI offero, sed insimul ad  
votorum meorum ardentissimam pietatem pro-  
pero. Seruet DEVS, TE, VIR PERILLV-  
STRIS, Gentemque TVAM TVIS meritis  
et nominibus splendidissimam in seros admodum  
annos; concedat TIBI Numen omnem ex alto fau-  
ritatem, eiusdemque cum TIBI, tum omnibus  
bonis ingenii exoptatissimam perpetuitatem. Iam

) ( 2

meam

meam exiguum camenam gratiae. **TVAE** summae  
de meliori nota commendatam sive, eandemque  
grauiissimo **TVO** tuere praesidio, quod vehementer  
flagitat

**VIR PERILLVSTRIS AC EX-  
CELLENTISSIME,  
INDVLGENTISSIME MEGAENAS**

Nominis **TVI** Perillustris

Cultor perpetuus

**ADAMVS Christlich Schön,**  
*Gorlic, Luf.*



DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**FIDEICOMMISSO**  
**NVTV RELICTO.**

§. I.



Latinum voluntatum fauorem semper maximum fuisse, nemo facile inficias ibit, imo pro lege elogium ultimum habetur, v. l. s. testam. quemadmodum aper. l. i. si quis omis. caus. testam.

Fauor ultima-  
rum voluntat-  
um est maxi-  
mus.

L. 28. C. de Episc. & Cler. modo non

sit contra legem, v. l. nemo, 55. de Leg. i. Egregia hac de re est constitutio CONSTANTINI in l. i. C. de SS. Eccl. dum scribit: nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus, & liberum, quod iterum non redit, arbitrium i. l. s. C. de necess. seru. haered.

inst. Tancum itaque abest, vt calculum addamus B. ARGENTRAEO in Comment. confuetud. Britannic. Notatur Ac- ad rubr. Tit. 22. adserenti: rem conscientiae periculosam, gentraeus, & iustitiae regula aduersam esse, ordinare de bonis testa-

mentis

*menta suis*; quin potius in ea sumus opinione, ne iure quidem naturali tanta necessitate parentum fortunas deberi liberis, ut salua hisce alimentaria portione, alii hic quicquam ultimo voluntatis elogio elargiri Genitoribus non sit integrum. v. Grot. de I. B. & P. Lib. II. c. 7. §. 4. PVFFEND. de I. N. & G. Lib. 4. c. 11. §. 7. & STRYCK. de Suec. ab intest. Diff. 1. c. 1. §. 8. nemo propterea conscientiis invito iure laqueos iniuriae necesse habet, si de certo haerede sibi prospicere velit; interest enim desfunctorum, ut habeant successores, interest & viuentium, ne praecipitentur quam diu iuste deliberant, iuxta Leg. 6. pr. de interrog. in iur. fac.

## §. II.

Variis modis Capit autem aliquis ex alterius ultima voluntate aliquid ex alterius testamento acqui- vel integrum haereditatem *titulo institutionis*, *substitutionis* &c. vel rem singularem, *titulo legati* &c. idque ut ritur. plurimum per solenne testamentum, *sive* si scriptum, *sive* nuncupativum. Aliquando vero etiam *vel* tota Hic in specie haereditas, *vel* certa illius portio, *vel* res singularis per de fideicommisso agitur, fideicommissum alicui relinquitur, de quo acquirendi modo in specie quaedam delibare, animum induximus.

## §. III.

Describitur Fideicommissum.

Describitur fideicommissum, quod sit ultima voluntas, qua *vel* tota haereditas, *vel* pars eius per intermediam personam, verbis precariis relinquitur, mediante restituzione. v. L. 46. ad SCtum Trebell §. 8. *Instit. de fideicomiss. haeredit.* Tres igitur circa fideicommissum intercedunt personae: *Prima* vocatur fideicommittens,

mittens, qui relinquit: *Secunda*, fideicommissarius, cui Circa hoc tres restituitur: & *Tertia*, fiduciarius, qui restituere iube- intercedunt tur. Relinquitur autem fideicommissum partim ab in- persone. Relinquitur testato, partim in testamento solenni, quando haeredi partim ab in- scripto iniungitur, partim in codicillis, v. §. 2. & 10. *Inst.* c. 1. In his enim fideicommissum vniuersale non mi- mento solen- nus ac particulare reēte constituitur. v. BEYER. ad ff. n, partim in codicillis. Tit. de iure codicill. vbi simul adducit, quod haeres fidei- commissarius ab haerede directo post SCtum Trebellia- num in effectu non differat. Conf. STEPHAN. ad tit. ad SCtum Trebell. §. 2. & lit. i. ibid. p. m. 620.

## §. IV.

Infinitae vero sunt inter Doctores de Fideicom- Infinitae circa missis controuersiae, de quibus tot eorum testantur scri- Fideicommiss- pta; Nos, pro instituti ratione, de casu: *quatenus fidei- fa sunt lites. commissum nutu relinquiri atque peti cum effectu possit?* Hic in specie de fideicom- tantum solliciti erimus, cum etiam hic haud raro lis nutu reliquo agendum. oriatur.

## §. V.

Quod etymologiam *nutus* attinet, deriuationem Nutus etymo- debet suam verbo *nuere*, quo nihil aliud exprimitur, logia: quam capit is potissimum germanice *nicken*, aut oculo- rum germ. *winken*, aut manuum motu, germ. *weisen*, vel gestu voluntatem suam ostendere, vel affirmando ali- quid vel negando. Hinc CICERO: *nutus tuus pot- est hominem reuinere*, ID. ad famil. XI. 12. vnius homi- nis nutum intueri: & PLIN. Ep. I. 7. *nutum dicit:* *cum quis annuit, renutum, cum recusat, namque ego, in-*

quit, simili nutu ac renatu respondere voto tuo possum.  
 Vnde Proverbiū: *nuu ac renatu.* Frequentatiuum eius est *nutare*, i. e. saepe capite huiusmodi signum facere. Distinguit inter *nutare*, *nuere* & *nictare* NO-  
 NIVS, *nutare*, inquit, *capitis est*, inclinando, vel in gy-  
 rum mouendo: *nuere narium vel labiorum*: *nictare oculorum*, aperiendo eos aut claudendo vel *vtrumque vel alte-*  
*rum.* Ab aliis tamen haec vocabula promiscue sumun-  
 tur, vid. PLAVTVS in ASINARIA. ad. 4. Scen.  
 l. v. 39.

## §. VI.

Nutu etiam  
 negotia inter  
 viuos contra-  
 buntur.

Paret ex dictis nutum etiam in quibusdam nego-  
 tiis inter viuos, quo alter alteri valide obligatur, suffi-  
 cere, in cuius rei testem adducimus GROTIUM de  
 I. B. & P. c. u. §. ii. qui, dum modos valide promittendi  
 describere vult, dicit: *modum promittendi quod attinet,*  
*et ut de dominii translatione diximus, requirit actum ex-*  
*ternum, i. e. signum sufficiens voluntatis, quale interdum*  
*esse potest NB. nutus, frequentius tamen vox aut literae.*

## §. VII.

Non tamen  
 indistincte  
 omnia.  
 sic nutu ne-  
 mo potest po-  
 stulare, nec  
 nutu iudicis  
 officio quis  
 fungi potest.

Diximus §. praec. quod in quibusdam negotiis inter  
 viuos *nutus* sufficiat, de omnibus enim indistincte hoc  
 adserere non audemus, sic v. g. nutu neminem postu-  
 lare posse credimus, quapropter mutus ab hoc munere  
 excluditur, non tam quod cum lex, quam natura ab  
 hoc officio excludat. Parili modo *nutu* neminem iu-  
 dicis officio fungi posse, persuasum nobis habemus, a. L.  
 1. § 2. C. de sent. ex peric. recitand. Alias autem in-  
 finita

finita fere negotia *nutu* valide celebrantur, *v. g. sponsalia & nuptiae*, omnes contractus consensuales, seruitutum constitutio, receptio in nauem, cauponam & stabulum, *nuru contra-*  
*hunc spon-*  
*dotis constitutio &c.* Sed haec omnia peculiarem tra- *luntur*, *sunt*  
*ditionem merentur, & propterea saltem a nobis sunt adducta, quo eo facilius cum Imperatore IVSTINIANO a. s. vn. Inſt. de lege Fusia Caninia tollenda, a negotiis inter viuos ad ultimas voluntates concludere possumus. An*  
*vero semper procedat haec argumentandi ratio, forsitan in conflitu videbimus.*

Bene autem  
*nuru contra-*  
*hunc spon-*  
*priae, &c.*

Argumentum  
*a contractu*  
*inter viuos ad*  
*ultimas vo-*  
*luntates.*

### §. VIII.

Hacredis institutionem esse caput & fundamentum Haeredis in totius testamenti, ex §. 34. Inſt. de leg. patet. Quæſtio ſtitutio eſt ca- put Testa- quam CYNVS in l. 29. C. de teſtam. Sabbatinam, menti. MENOCH. vero Tom. I. Lib. IV. c. 8. n. i. de praefumt. grauem ac controuersiam, appellant,) igitur primo loco occurrit: *Virum haeredū iſtitutio nutuferi poffit?* Multi hanc simpliciter negant, quia hic manifesta mentis declaratio requiritur vel voce vel literis, per l. 29. C. de teſtam. ibi: *quod ſi non fuerit obſeruatum, & nomen haere- diſ vel haeredum non fuerit manu testatoris scriptum, vel voce coram teſtibus nuncupatum, hoc teſtamentumflare minime patimur &c.* Et in verbis praecedentibus dictae legis: *Si talis eſt teſtator, qui neque ſcribere, neque articulare loqui potest: mortuo ſimilis eſt, & falſitas in elogis committitur, hinc IVLIVS CLARVS in libr. rece- ptar. ſentent. §. teſtamentum, qu. 39. n. 8 putat, ad deci- ſionem huius quæſtionis caſarea interpretatione eſſe opus.* Pro negatiua vterius dicunt: Nutu non declari voluntatem, niſi coniecturali & praefumto quodam modo,

modo, per coniecturam autem haeres institui nequit,  
*v. l. vñ. π. si tabulae testamenti extab. ad haeredis quippe  
 institutionem lex requirit certitudinem, non coniectu-  
 ram vel prae sumptionem, quia agitur de maximo prae-  
 dicio venientium ab intestato, a. l. vlt. C. qui testam. fac.  
 poss. quam ob causam negatiuam etiam amplexa est sen-  
 tentiam F. I. V. Menſ. Nouembr. 1720. referente de  
 WERNHER. P. VII. Obs. 32. p. 85. seq.*

§. IX. cum id est utrilibet ni

Alii distin-  
 guunt duos  
 casus.  
 Adducitur  
 primus.

Proponitur  
 secundus.

Alii quaestionem in totum non negant, sed distin-  
 guendo incedunt. Formant scilicet statum controvrsiae  
 dupli modo; PRIMO: si testator aduocato vel no-  
 tario mandauit, vt ultimam suam voluntatem concipe-  
 ret, & in formam debitam redigat; Is vero, nimisrum  
 Notarius, scripto eam comprehensam, coram testibus ad  
 hunc actum conuocatis, recitet, atque testatorem inter-  
 roget: *an haec fuerit eius voluntas & sit?* testator autem,  
 forsitan graui morbo adfectus, nutu declarat voluntatem,  
 annuendo hoc casu ei quod ipse fuit praecepit, & de quo  
 interrogatus fuit, *valere haeredis institutionem, nutu con-*  
*firmatam, plerique aiunt, non quidem per legem cit. 29.*  
*C. de testam. vi cuius testator articulate respondere tenet-*  
*ur, sed moti l. 8. s. at cum humana fragilitas, C. qui te-*  
*stam. fac. poss. cui opinioni etiam, ut nobis videtur, recte*  
*adserit BRVNNEM. ad c. l. 29. n. n. SECUNDUM:*  
*an valeat haeredis institutio: Si nulla praecessit commissio*  
*vel mandatum, aut voluntas testatoris? vbi iterum quidam*  
*indistincte adserit etiam, v. ALCIAT.*  
*Conf. 77. Alii vero negatiuam amplectuntur se fun-*  
*dantes in d. l. 8. vbi praerequiritur, ut praecesserit com-*  
*missio*

missio & voluntas testatoris, cui accedit WESEN. Tr. de testam. & qui testam. fac. n. 8. Nos fatemur, quae-  
stionem non sine fundamento in viramque partem di-  
sputari posse, si rationes, cur olim haeredis noscere ab ipso  
testatore scribi, aut voce nuncupari debebat, inuestigare ve-  
lis. v. MENOCH. de praesumt. Tom. I. Lib. IV. praesumt.  
8. n. 8 seqq. Quidam ut hunc nodum Gordium  
soluant, distinguunt inter interrogationem blandam &  
monitoriam nudam, & inter eam, quae cum dolo, metu  
aut importunitate coniuncta est. Illam non putant  
prohibitam, a. l. 1. 2. & vlt. ff. C. si quis aliq. testar. prohib.  
bene vero hanc, a. l. 52. in f. pr. de haered. inst. conf.  
TUSCH. Pract. Concl. Lit. T. concl. 124. CARPZ.  
P. III. C. 5. D. 4. & 5. Plures hac de controuersia ra-  
tiones & Doctores tam pro affirmatiua quam negatiua,  
exhibit DAVTH. de testam. n. 234. p. m. 277. seqq.

## §. X.

Possemus alia testamenta, in quibus haeres *nutu* Testamen-  
*institui* potest valide, adducere v. g. Testamentum *ad* tum ad pias  
*pias causas*, quod absolute plerique DD. *nutu* fieri posse, subsistit.  
intuitu religionis & fauore pietatis statuunt, per *Gloss.*  
in c. 13. X. de testam. quam singulararem & communem  
vocat BALD. in l. 1. C. de S. S. Eccl. conf. TIR A-  
QVELL. de priuil. piae caus. priu. 8. Referri huc et-  
iam posset testamentum militis, cuius ultimum elogium, *Vt & testa-*  
*mentum militis*,  
si in acie constitutus sit, quoconque modo, sine omni  
solemnitate pro valido habetur, vt *nutus* hic nullo modo  
excludi queat. Sed linquimus haec cum aliis, & in Transgressio-  
specie transimus ad fideicommissum, quatenus *nutu* re-  
linqui potest.

B

## §. XI.

## §. XI.

Hoc solo nutu  
relinqui pot-  
est.

Fideicommissum nutu solo relictum, validum esse,  
vix aliquis dubitare poterit, ob expressam dispositionem  
l. 21. ff. de Leg. III. & per legem 22. C. de Fideicom.

Et, quod pertinet ad rem ipsam, omnes, fideicommissum  
(bodie etiam legatum) nutu relictum, validum esse fatentur.

Saltem quoad Circa modum relinquendi autem non conueniunt.  
modum relin- Statuunt enim haud pauci, ut praecesserit feria voluntas  
quendi non ac iusso testatoris in eo qui nutu relinquit fideicommissum,  
conueniunt. per l. 39. §. 1. de leg. 3. & ex casu hac in lege recensito,  
Quidam requirunt praecedentem te- colligunt: Si ad fideicommissum ad interrogacionem alterius  
testatoris vo- verbo *perdixa* relictum, requiritur ad minimum, ut  
luntatem & iustitionem per testator praedixerit, se ita dispositorum conuocatio amicis  
l. 39. §. 1. de leg. 3. aut testibus, multo magis hoc necessarium erit in fideicom-  
missu nutu *relixi* v. MOLINAEV in l. 1. §. 2. n. 26.  
seqq. de V. O. & CVIACIVS L. IX. Obs. c. 37. quam  
opinionem ulterius probare satagunt per d. l. 21. de leg. 3.  
vbi capacitas loquendi, nulla alia de causa desiderari vi-  
detur, quam ut ex verbis praecedentibus & sequentibus  
facilius certa & non dubia voluntas colligatur.

## §. XII.

Dicta lex ta-  
men casum  
specialem  
continet  
hincab illa  
receditur.

Verum enim vero si rem penitus considerare ve-  
limus, casus, qui *cit. loco* recensetur, plane singularis &  
specialis esse videtur, ut propterea exinde argumentum  
firmum desumi nequeat, cum decisionem quaestioneis  
non contineat, id quod non obscure ex ipsis verbis fina-  
libus dicti casus adparet: super hoc dubitandum non esse,  
quoniam fideicommissum valeat: quae satis immunit validum  
esse legatum vel fideicommissum, licet omnia, quae in  
casu

casu ibidem relato referuntur, accurate non sint obseruata. Et haec opinio *scil.* nec *iussionem* nec *testium rogationem* &c. praecise hic requiri, manifesta redditur per l. 22. C. de fideicommiss. quae est huius tenoris: ob leg. 22. C. de fideicommissum relinqui posse, adhibitis testibus, nulla dubitatio est: hic saltem testes requiruntur, utrum vero fortuito sint praefentes, vel rogati adesse debeant, lex nil disponit; accedit in genere ad fideicommissum relinquentum rogationem testium necessariam non esse, ut itaque qui hanc praecise adserere velit, sine lege loqui videatur, & propterea ipsi erubescendum. v. *Nou. 18. c. 5.*

## §. XIII.

Obiiciunt porro legem 10. C. qui *testam. fac. poss.* Obiicitur I.  
vbi de surdo & muto disponitur, quod *neque testamen-*  
*to. C. qui te-*  
*tum facere, neque codicillos, neque fideicommissum re-*  
*linquere, neque mortis causa donationem celebrare possit;*  
ex quibus verbis legem 21. de leg. 3. sublatam esse, &  
fideicommissum, ab eo, qui eloqui nequit, relinqui non  
posse concludunt; cui sententiae etiam adstipulari vide-  
tur D A V T H. de *testam. §. 194.* putans, quod non *qui-*  
*uis nutus* ad fideicommissum relinquentum sufficiens sit,  
sed requiratur in annuente, ut loqui possit. Sed re- Saluatur le-  
spondet: in ipsa lege 21. cit. ab initio quidem dicitur: & l. 21. de  
*Nutu etiam relinquitur fideicommissum, dummodo is nutu*  
*relinquat, qui & loqui potest.* Sed NB. statim & im- leg. 3.  
mediate additur limitatio: *nisi superueniens morbus ei*  
*impedimento sit,* quod vtique in illo qui casu mutus est,

Recedit a  
Cuiacio

¶

Dauthii inter-  
pretatione.

ita se habet. Ut propterea opus non sit statuere cum C VIACIO ad l. 6. §. fin. qui testam. fac. poss. haec verba: nisi superueniens morbus ei impedimento sit, suppositia esse, & Tribonianisnum redolere, nec cum D AVTH. c. l. num. 195. de morbo in ipso actu testandi vel fideicommittendi superueniente explicare: quia verba, si ratio manifesta restrictionem non vrgeat, simpliciter accipienda sunt. Hinc STRYCK de iure sensum Diff. IV. n. 34. c. 3. p. m. 248. Perinde, inquit, se res habet in illo, cui in actu testandi violencia morbi loquela adimitur, quam in illo, qui ante aliquot annos loquela amisi, vterque enim fari potuit; sed ubi fideicommissum relinquendum, neuter potest: Potest tamen vterque ex aequo sensa mentis nutu declarare; & forte rectius non poterit, qui iam diu loquela priuatus fuit, quam qui subitaneo morbo impeditur: in hoc enim via salua delibrandi facultas adesse poterit, cum illum reuera agonizantem aestimemus, cui moribundo vox plane deficit. Ut tecumamus, quod C. I. A. tit. de leg. §. 31. n. 2. verba in l. 2. ad quae dissentientes prouocant: qui loqui potest &c. videatur explicare, quod idem denotent, ac si dictum suisset, qui interroganti: an hoc vel illud Titio relinquat? nutu annuit, cum aliis ad quos ibidem prouocatur.

#### §. XIV.

Ad legem 10.  
C. qui testam.  
fac poss. re-  
ponit.

Quod vero pertinet ad l. 10. C. qui testam. fac. poss. quam ut obstantem & derogatoriam obiciunt, respondetur: Satis conuenienter hoc adstrui non posse, iuxta vulgatum illud: legem posteriorem stricte interpretandam esse.

*esse.* Cuilibet autem euolenti & insipienti *legem*  
*cit. 10.* facile etiam patebit, hanc legem correctoriam  
 specialiter loqui de testamento, & propterea ad illa fidei-  
 commissa, quae extra testamentum relinquuntur, non  
 esse extendendam; accedit fauor ultimae voluntatis,  
 cum semper laborandum, ut conseruetur potius ultima  
 testatoris dispositio, quam ut corruat.

### §. XV.

Ex dictis, ut opinamur, satis adparet, neutquam *Non derog-*  
*cum DAVTH. c. l. §. 194.* statuendum esse, *legi 21. cit. tur legi 21. de-*  
*per legem 10. allegatam derogari, sed sufficere omnino leg. 3 per 1.*  
*dicta l. Nutu 21. quod testator loqui potuerit, vel 10. C. qui te-*  
*morbo impeditus, adhuc interrogata nutu significare poss.*  
 posse, quae opinio non parum roboris accipit *ex l. 65.*  
*§ 3. ad SCium Trebell. ille itaque, qui natura fari non*  
*potest cit. leg. 21. saltem excluditur v. BRVNNE M.*  
*ad d. l. Quia igitur neque in l. 21. neque 65. §. 3. hic*  
*adductis, praecedentis iussionis, intuitu testium, fit*  
*mentio, concludendum esse putamus ex l. 22. C. de fidei-*  
*comm. Fideicommissa & legata praesentibus testibus,*  
*etiam absque praecedenti iussione testatoris nutu, recte*  
*relinqui. Id quod praeprimis quoad legata pia dubio*  
*caret, quae nutu & signis indistincte relinquuntur.*  
*BRVNNE M. c. l. n. 3.*

### §. XVI.

Fideicommissum autem *sive in codicillis, sive in Fideicommis-*  
*epistola, sive ab intestato, nutu solo relinquatur, quin-*  
 ter 5. testes re-  
 que quisit,

B 3

## Exceptio.

que requirit testes regulariter a. l. f. §. f. C. de codicill. excipitur casus, vbi in testamento etiam pauciores admittuntur v. g. tempore pestis, a. Dec. El. 46. Imo, si electa sit *vel haeredis, vel fideicommissarii, vel legatarii* fides in specie, plane sine vllis testibus recte relinquitur fideicommissum v. §. f. I. de fideicomm. haered. i. f. C. de fideicomm. conf. BOEHMER. de codicillis absque testibus validis. Hal. 1707. Hoc enim casu, is cuius fidei aliquid commissum, (*praefito prius a fideicommissario iuramento calumniae*) *vel se iuriſurandi* praefatione liberare, *vel fideicommissum praestare* tenetur, d. l. fin. Oneratus autem tantum iurare cogitur, non vero huius haeres, vti pronunciauit F. I. L. Mens. April. 1712. Rationes pro vtraque sententia vide in Dni PRAESIDIS Dissertatione: *De usu practico & aequitate legis vlt. C. de fideicomm. Lips. 1727. habita.* §. 27. 28. 29.

## §. XVII.

An fideicommissum coram paucioribus quam quinque testibus, *nutu* relictum, pro valido sit habendum, ita, vt fideicommissario *ex dict. l. vlt.* agere sit integrum, & propter *nutum* fiduciario iuramentum deferre possit? prima facie negandum videtur, cum vix solo *nutu* illud exprimere posse quis *praeſumendus*, quo alter iusiurandum subire teneatur, & periculosum sit super causa dubia conscientiam alicuius tangere. Quicquid vero sit, affirmativa sententia verior censenda, quia, licet verba deficiant, ex coniectura tamen voluntatis fideicommissum suppleri potest, v. l. 30. de leg. 2.

L. 77.

L.77. §. 22. cum imperfecta, eod. sola quippe voluntas spectatur in fideicommissis, etiamsi ex verbis commode concipi haud possit, dum tamen ex coniecturis colligatur. v. l. 15. C. de fideicomm. L.67. §. pen. & ult. de leg. 2. CARPZ. P.3. Conſt.7. Def.8. n.9.ſqq.

### §. XVIII.

Egregie hanc thesin illustrat *Incluti Scabinatus Lipsiensis*. Mensē Dec. 1688. versus Zittauiam, ad interrogationem *Christiani Tierburgi*, exaratum responsum, quod propterea etiam verbotenus hic adiicere non dubituumus. Est autem huius tenoris:

Ist eurem Ehemalibe, kurz vor ihrem, abgewichenen Monat Nouembr. erfolgten Todes-Fall, durch einen Schlagfluss die Sprache benommen worden; Nachdem sie nun in Gegenwart ihrer Kinder und derer Curatoren, von ihrer Stieff-Tochter, ob sie euch von ihrem Vermögen etwas vermachten wolle? befraget worden, mit dem Kopfe genickt, und den Mund aufgethan, auch auf ferner Befragen: Ob ihr soltet 2. oder 1. Theil haben, mit dem Kopfe geschüttelt. Auf die Frage hingegen: Ob ihr soltet die Helfse geben? den Kopf aufgehoben, und nochmals darmit genickt, auch dem Vormund die Hand geboten.

So wollet ihr, ob nicht solches pro fideicommisso zu achten, und ihr die Helfse von ihrer Verlassenschaft, von ihren Kindern erster Ehe zu suchen besugt?

Ob nun wol zur Beständigkeit eines letzten Willens, insonderheit, daß von des Disponentis Meynung bitandi pro ganz negativa.

Responsum  
Dnn. Scabiorum Lipsiensem.

ganz gewiß sey, erfordert wird, solche Gewissheit hingen-  
gen, bey einem, der nicht reden kan, in denen dispositio-  
nibus nuncupatiis zu ermangeln scheinet, und zwar vor-  
nemlich bey denen Personen, so kurz vor ihrem Tode  
durch eine Krankheit die Sprache verloren, als von welcher man durch äußerliche Zeichen, nicht so leicht  
ihre Meynung und Willen abnehmen kan, als von de-  
nen, so mit dergleichen Vicio lange Zeit behaftet, und  
vermittelst vielfältiger Übung durch Regung der Lippen,  
Wincken, oder sonst ihre Gedanken an den Tag zu le-  
gen, erlernet; Immassen auch die Verordnungen eines  
letzen Willen, auf vorhergehende Befragung einer ge-  
wissen Person, und darauf erfolgte Antwort, oder sonst  
andere äußerliche Zeichen, durch Wincken oder Kopf-  
Nicken, nur sodann vor beständig gehalten werden, wenn  
die Person, so die Frage vorträgt, auf keinerley Weise  
interessirt, oder verdächtig, der Disponens auch vorher  
mit selbiger darinnen communiciret, und man also zuvor,  
dass er einen letzten Willen machen wollen, gewiß sey,  
und nicht die Befragung ex abrupto geschehen. Im  
übrigen bey eures Weibes Disposition gnug Zeugen  
nicht vorhanden gewesen.

Rationes de-  
cidendi pro  
affirmativa.

Da aber dergestalt euren Berichte nach, euer  
Weib das Gehör nicht zugleich verloren, sondern  
was mit ihr geredet worden, wohl vernehmen können,  
auch bey vollkommenen Gebrauch ihres Verstandes ge-  
blieben, und aus denen von euch angeführten unterschied-  
lichen Bezeugungen durch Schätzeln, sowol mit Nückung  
des Kopfs, die Person, so sie gefraget, nicht etwa eure  
leibliche Tochter, und also nicht verdächtig, die beiden  
Vormunde auch zu dem Ende, dass sie ihren letzten Wil-  
len

len mit anhören sollen, erfodert worden, diesemnach, daß sie dergleichen zu machen des Sinnes gewesen, man ver-  
sichert ist, eine ziemliche Gewissheit ihres Willens abzu-  
nehmen; zumalen, da eurem Anziehen nach, sie bey ge-  
funden Zagen öfters gegen ihre Kinder, daß sie euch die  
Helfste ihres Vermögens zuwenden wolle, erwehnet;  
dahero dßfalls dergleichen Umstände, da sonst sowol  
die legata, als fideicommissa, nutz verloren werden kön-  
nen, vorhanden. Im übrigen eures Weibes Kinder  
und Erben zugegen gewesen, und was bey Verordnung  
des euch gethanen Vermächtnisses vorgegangen, mit an-  
gehört und anzusehen, dieselbe auch alle annos puberta-  
tis überschritten, also vi legis fin. C. de fideicomm. der  
Zeugen Mangel der Disposition nicht hinderlich; nach  
mehrern Inhalt eurer Frage. So möchte das euch be- Decisio.  
schiedene Vermächtniß, wenn obige Umstände richtig,  
wohl bestehen, und ihr nach Anleitung angezogenen  
L. fin. C. de fideicomm. wieder eure Stieff-Kinder dies-  
falls wohl klagen. Es wäre denn, daß nach denen Zit- Limitatio.  
tauischen Statuten kein letzter Wille anderer Gestalt gültig,  
als wenn er vor Richter und Schöppen aufgerich-  
tet worden, auf den Fall möchtet ihr das beschiedene  
Fideicommissum mit Bestande nicht fordern, euch auch,  
daß ex facto des Vormundes, ihr an Erforderung der  
Gerichts-Personen gehindert worden, nicht behelfen  
noch zu statten kommen.

## §. XIX.

Sicuti autem pro confirmando sententia nostra;  
fideicommissum nutz relinqu posse, optima sane ratione

C

hoc

Mouetus du-  
biū circa  
Statutum Zit-  
tauiense,

hoc adduximus responsum; ita, vt ingenue fateamur,  
circa ea, quae intuitu statuti ibidem in fine adseruntur,  
haesitavimus paulisper, vt non possimus, quin pauca, ob  
connexionem materiae propositae, de Statuto Zitta-  
uiensi adferamus.

## §. XX.

Statutum a  
Iure commu-  
ni recedens  
pro loci lege  
habetur.

Sit igitur ita, iuxta Statutum Zittauiense testa-  
menta non valere, nisi praescitu Senatus & in presentia  
duorum Scabinorum sint condita: (*vti etiam testatur  
Statutorum Zittauiensium extractus, quem §. 22, sub Lit.  
A. adiiciemus.*) Quaeritur autem, an non obstante tali  
statuto, fideicommissum ex L. vlt. C. de fideicomm. peti  
possit? Negant hoc laudati Domini Scabini in Responso  
adducto; Pace tamen tantorum Virorum, de quorum  
scientia legitima, non tantum in vrbe sed orbe eruditis  
constat, non, quod procul absit, studio contradicen-  
di, sed amore veritatis, nobis contraria arridet sen-  
tentia. Licet enim concedamus eiusmodi statutum  
a Iure communi deflectens pro lege loci seruandum,  
& ipsi iuri communi praferendum; vbi enim verba  
statuti clara & aperta sunt, vt de mente statuentium  
nullum suboriri queat dubium, ibi etiam praecise statu-  
tū verbis inhaerendum, a. l. 21. de testam. milit. ea-  
que, quamuis dura sint, strictissime obseruanda, a. l.  
12. §. 1. qui & a quib. man. cum ICtus statuto clemen-  
tior esse nequeat, quia in iure nostro receptum, quod  
generi per speciem derogetur, a. l. 80. de R. I. nec  
enim a Iure communi statutum interpretationem passi-  
vam

uam recipere potest, a cuius dispositione statuentes ex-  
presse recedere voluerunt.

## §. XXI.

Hicce tamen omnibus non obstantibus, praferen-  
dam esse putamus contrariam, quam nos amplexi fu-  
mus, opinionem: *Legatum vel fideicommissum omnino  
peti posse ex d. l. vlt. C. de fideicomm. etiam si iuxta statu-  
tum testamenta iudicialiter fieri debeant, his potissimum  
moti rationibus: quoniam statutum strictissimae est inter- Stricte tamen  
pretationis, in tantum, ut nec de persona ad personam, nec <sup>interpretar-</sup>  
de re ad rem, nec de casu ad casum extendendum, nec villo  
vnquam tempore ad consequentiam trahendum, a. l. 14.*

*de LL. c. 28. de R. I. in 6. ex quibus inferimus: Statu-  
tum Zittauensem, quod vult, ut omnia testamenta, praescitu  
Senatus & in praesentia duorum Scabinorum, fieri debeant,  
ad casum legis vlt. C. de fideicomm. non esse extenden-  
dum, v. DECIVS, cons. 19. n. 13. vbi dicit: Statuta  
correctoria iuris communis non posse extendi ultra casum  
in quo loquuntur, nec ex identitate rationis, BART.  
in l. omnes populi de iust. & iur. n. 60. & in authent. quas  
act. n. 9. C. de SS. Ecc. quicquid igitur in statutis ex-  
pressum non est, illud pro omissio habetur, a. l. 99. ibique  
DD. de V. O. & textu notab. in l. 64. §. 9. sol. matr. tan-  
tum enim saltem disponit, quantum loquitur, & quod  
Statutum non dicit, nec anobis dicendum est, COTHM.*

Vol. 3. Reff. 45. n. 57. § 68. MEVIVS P. V. Dec. 1.  
 n. 2. quem in modum, in casu legis nostrae. ultimae Ordo  
 Vitemb. Mens. Septembr. 1706. a Senatu Zittauensi con-  
 sultus, in causa Hanns Dößlers, in väterlicher Gewalt  
 seiner 4. unmündigen Kinder, und Consorten, contra  
 Elisabeth Dößlern respondit, referente de WERNHER.  
 P. I. O. 324. p. 60.

## §. XXII.

Extractus statuti, cuius §. 20. mentionem fecimus,  
 ex capite: Von Testament zu machen, vti nobis statuta  
 ipsa in MScto sunt communieata, est subsequens:

## A.

Und ob es wol in eines ieden Menschen freyen  
 Willen steht, Testament und letzten Willen zu machen,  
 und auch zu wiederrufen und zu verändern, wenn, und  
 wie oft es ihm gefällig; So soll dennoch derselbige  
 Mensch, der also sein Testament und letzten Willen bey  
 gesunden Leibe, oder im Siech-Bette, machen will, sol-  
 ches thun bey guter Vernunft, mit wohlbedachten Ge-  
 müthe, und mit Vorwissen E. E. Rath, in Gegen-  
 wärtigkeit zweyer oder mehr hierzu von E. E. Rath,  
 oder denen Gerichten erfordereten Personen. Und erst-  
 lich bedencken, daß ein ieder vornemlich verpflichtet und  
 schuldig

schuldig ist, Gottes Lob und Ehre, auch gemeinen Nutzen  
zu mehren und zu fördern.

## §. XXIII.

Quem adduximus casus de statuto Zittauensi,  
alium gignit de priuilegio quo gaudet Civitas Patria.  
Nimirum Rex VLADISLAVS Gorlicensibus spe-  
ciale indulxit priuilegium, (*quod in fine Dissertationis sub*  
*Lit. B. a nobis adiectum,*) vi cuius testameta & vltimae  
voluntates, nisi iudicialiter factae sint, inualidae decla-  
rantur. Concordare cum dicto priuilegio etiam vi-  
dentur Statuta Gorlicensium *Artic. XLVII. vom Testa-*  
*menten.* Ne itaque mihi Gorlicensi, quod olim  
SERVIO ICto, contingat, *turpe sc. esse patricio &*  
*causas oranti, ius in quo versatur, ignorare, v. l. 2. §. 43. ff.*  
*de O. I. casum circa Priuilegium prolatum in medium*  
proferre habet.

Adducitur  
Priuilegium  
Vladislai Gor-  
licensibus  
concessum.

## §. XXIV.

Indubitati sc. iuris est apud Gorlicenses testamenta  
omnia iudicialiter fieri debere. An vero priuilegium, *An dictum*  
quo de loquimur, ad eum quoque casum, vbi testator priuilegium  
iuxta dispositionem legis vltimae *C. de fideicom.* aliquid vlt. *C. de fidei-*  
relinquit, extendendum veniat? controuersum esse, sci-  
mus. Prima facie aiens sententia verior videtur, quia  
etiam ad 1. com. perti-  
neat?

C 3

i) dictum

Rationes pro  
affirmativa.

1.)

2.)

3.)

4.)

5.)

6.)

- 1) dictum priuilegium, quo fraudibus & dolis, periculisque animarum obuietur, futurae lites, rixae & controvuersiae & errores praescindantur, 2) maturo consilio & deliberatione praehabita, ac ex certa scientia (*vti verba ipsius sonant*) datum est, & 3) de quibuscumque testamentis, codicillis, vel qualibet ultima voluntate, conceptis verbis loquitur. Nunc autem 4) Principum priuilegia sunt legis instar, *v. l. 5. de teſſib. l. 2. C. de LL. l. 1. de confiſt. Princ.* priuati vero ne leges in testamentis suis valeant, efficere non possunt, cum per pacta priuatorum iuri publico derogari nequeat, *v. l. 38. ff. de paſſ.* accedit quod 5) priuilegium ex eo dicatur, quia legem generalem ciuilem priuat, & quoniam priuilegium a Principe concessum derogat legi generali, & tollit etiam Statutum ciuitatis, *v. l. 3. in f. C. de LL.* Et ita in Academia IVLIA Mens. Febr. 1640. pronunciatum, meminit RICHTER. P. I. Dec. 4. n. 10. quae notatio tamen a multis mirum in modum taxatur, vti recte, nostro iudicio, animaduertit STRYCK, *de priuilegiorum interpretatione*, Cap. I. n. 9. 6) priuatis plane integrum non videtur priuilegia Principum interpretari, sed vbi dubius horum intellectus deprehenditur, *vel* ad ipsum priuilegium concedentem, *vel* successorem illius recurrentem, *a. l. 11. de LL. l. 19. de R. I. c. 12. X. de iudic. i. Carpz. P. II. C. 6. def. 8. n. 3. seqq. & in iuris pr. Confiſt. L. II. T. 25. def. 416. n. 10. & 12.*

§. XXV.

## §. XXV.

Pro negatiua tamen sententia adducitur, quia Rationes pro  
 1) legum correccio vitanda, v. Nou. 89. c. 7. & I. 32. in f. negatiua.  
*C. de appellat. l. minime, de LL.* 2) Lex posterior gene-  
 raliter loquens, ad casum specialem regulariter extendi  
 non debet, v. I. 3. *C. de silentiar.* ibique BRVNNEM.  
 n. 5.) casus autem l. f. *C. de fideicom.* omnino est sin-  
 gularis atque specialis; 5) fauor ultimarum voluntatum  
 in iure est maximus, (v. §. 1.) & 4) priuilegiorum con-  
 cedens SAEPE ex voluntate, SAEPIVS ex hone-  
 state, & SAEPISSIME ex necessitate, ab interpre-  
 tatione priuilegiorum a semetipso vel Antecessoribus  
 concessorum abstinet, eamque ICtorum seu Prudentum  
 relinquit arbitrio, vt late hoc dedit S TRYCK.  
 cit. *dissert. C. II. n. 8. seqq.* 5) in legum explicacione  
 primo ad vsualem interpretationem, quae omnium opti-  
 ma dicitur, hacque deficiente ad doctrinalem, & ultimo  
 demum ad authenticam recurrentem esse, appareat ex  
 I. 32. pr. de LL. Authenticar quippe interpretatio tunc  
 saltem sibi vindicat locum, cum Priuilegiantis mens ne-  
 quaquam ex verbis priuilegii uestigari possit, v. I. 9.  
*C. de LL. RAVCHBAR. P. II. qu. ii. n. 142.* quem  
 sequitur CARPZO V. P. II. C. 6. d. 8. n. 4. denique  
 6) verba priuilegii strictissime sunt accipienda, ita scil.  
 vt quantum fieri potest, iuri communi minus derogent.

v. I. 12.

v. l. 12. §. 1. de munerib. & honor. i. PHILIPP. ad Dec.  
 El. V. obf. 5. n. 25. Concludimus ergo ex his similibus-  
 que rationibus dispositioni legis fin. C. de fideicom. per  
 priuilegium VLADISLAI derogatum non esse, sed, hoc  
 non obstante, praxin dictae legis apud Gorlicenses adhuc  
 hodie obseruari. Hunc in modum etiam iudicarunt  
*Dni. Scabini Lipsenses versus Gorlicum Menfe Dec. 1701.*

Responsum  
pro negatua.

### §. XXVI.

Plura de hacce utilissima materia facili quidem ne-  
 gotio adducere potuissim, cum vero partim temporis  
 angustia prohibear, partim etiam Academicae disserta-  
 tionis limites excedere nolui, filum abrumpo, adiciendo  
 saltem Priuilegium VLADISLAI, cuius §. 23, mentio-  
 nem fecimus. Supremo autem Numinis immortales,  
 quas possum, nuncupo grates pro concessi studiorum  
 meorum directione clementissima, cui & impostherum  
 omnes meos conatus commendo humillime, quo ce-  
 dant in Nominis Diuini gloriam & proximi emolu-  
 mentum, quorsum etiam laborum meorum  
 collimat vnicus

F I N I S.

B. Regis

Regis WLADISLAI Priuilegium de confectione testam  
entorum Gorlicensibus datum, de  
Anno 1496.

WLADISLAVS Dei gratia Rex &c. &c. memoriae commendamus, quibus expedit vniuersitatis. Quia intelleximus ciues, incolas & habitatores oppidi nostri Görlitz in infirmitate constitutos, ac etiam alios per nonnullas personas, plerumque ni sine fraude & dolo ac frustra circumuentione haec tenus ad testandum adductos esse, ac etiam aliquando adhuc induci, debitis solennitatibus inibi minime adhibitis, in haeredum ac alias legitime succendentium haud modicum praeiudicium, ita etiam, ut ipsae ecclesiasticae ac aliae personae se aliquando in executores Testamentorum sive ultimarum voluntatum deputari procurent, in executionis Testamentorum seu ultimarum huiusmodi voluntatum occultationem, intermissionem plerumque seu protelationem. Vnde saepius variae lites, rixae ac controuersiae subortae sunt & suboriri formidantur, in graue damnum & iacturam Reipublicae ibidem. Nos igitur fraudibus & do-

D

lis

lis huiusmodi periculisque animarum obuiare,  
futurasque lites, rixas & controuersias & erro-  
res praescindere volentes, supplicationibusque  
humilibus dictorum ciuium, incolarum & inha-  
bitatorum inclinati, ipsis quoque ciuibus, inco-  
lis & inhabitatoribus de competenti remedio  
prouidere cupientes, hoc priuilegio perpetuis  
futuris temporibus valituro, autoritate nostra  
Regia Regni Bohemiae decernimus, statuimus  
& ordinamus, maturo consilio & deliberatione  
praehabita, ac ex certa nostra scientia. Quod  
in quibuscunque Testamentis, Codicillis, vel  
qualibet vltima voluntate seu donatione, etiam  
aliis aut relictis, aut legatis, quibuscunque et-  
iam ad pias causas per ciues, incolas, habita-  
tores dicti oppidi sue sanos, sive in infirmitate  
constitutos, nunc & pro tempore fiendis & or-  
dinandis, ad minus duo iurati ex Consulibus  
dicti oppidi, nec non ipsorum Consulum scri-  
ba, seu Notarius etiam iuratus ad hoc rogati, in  
maiis robur & firmitatem permisorum inter-  
esse debeant & teneantur. Alioquin Testa-  
menta, Codicilli, vltimae voluntates, institu-  
tiones haeredum seu substitutiones vulgares sive  
pupillares, donationes seu legata quaecunque  
alia, per quoscunque in dicto oppido ordina-  
tae

tae & institutae, nullius penitus sint roboris vel momenti. Indulgemus etiam dictis ciuibus, incolis, inhabitatoribus, quod si praesumeretur aliquem testari volentem contagioso morbo laborare, quod ex tunc Pro-Consul dicti oppidi pro tempore existens, possit & valeat duos fide dignos ciues deputare, ut testamento sic aegrotantis intersint, ipsum audiant & acceptent, veramque relationem de testamento ipso ad consulatum, sub iuramento Nobis & Consulatu dicti oppidi praestito, fideliter faciant, habeantque Testamentum huiusmodi sic conditum & ordinatum idem robur, eandemque vim & firmitatem, quod & quamuis, ut praemittitur, coram duobus de Consulatu & Notario dicti oppidi factum fuisset, haberet & habere possit. Volentes autem Testamentum seu ultimas voluntates suas coram Iudice nostro ac Scabinis in iudicio ibidem congregatis, maiorem solennitatem adhibendo, facere & ordinare testamentum seu ultimam huiusmodi voluntatem faciendi & ordinandi liberam habeant facultatem per praesentes. Volumus etiam, ut Pro-Consuli dicti oppidi cum adjunctis sibi Consulibus diligenter respiciant, &, quantum possunt, conentur, atque sollicitent, ut testamenta huiusmodi & ultime

timae voluntates suae, vt praemittitur, ordinatae & factae, debitae executioni demandentur.  
 Nolumus tamen Clericis, aut aliis personis ecclesiasticis in suis testamentis vel aliis ultimis voluntatibus condendis sive ordinandis per praesentes in aliquo derogari. Etiam nolumus neque intendimus per huiusmodi nostras literas statutis & aliis literis ac priuilegiis dicti oppidi per Nos aut Antecessores nostros derogari, &c.



Nobilis-

NOBILISSIMO AC CLARISSIMO  
DOMINO  
ADAMOCHRISTLIEB  
SCHOENIO  
RESPONDENTISVO  
PRAESES.

**Q**vae parentibus ex bene educatis liberis oritur  
voluptas, eam ex discipulis industriis doctrinae-  
que capacibus percipiunt, aliis erudiendis operam suam  
impendentes. Delectat auditor indefessus & alacer,  
cum nostra adhuc vtitur institutione eiusque diligen-  
tiam intueri licet nobis praesentibus; magis vero adhuc  
delectat, vbi videmus eundem, quae ex nobis didicit in  
Reipublicae commodum conuertentem. Et haec qui-  
dem voluptas est omnia laborum taedia compensans,  
quam ex *Tē* etiam, NOBILISSIME DOMINE  
SCHOEN, percipio. Ex quo ingressus es Academiam,  
ultra quadriennium effluxit, & per hoc tempus lectioni-

bus

213

bus meis, Theoreticis & Practicis interfueristi talis semper, quales esse solent docentibus laetitiam creaturi. Iam, publicum prosectorum specimen cum animo constitueris edere, de illo laetor maximopere, quod me ducem huc usque studiorum *Tuorum*, adiutorem nunc elegeris. Sic participem veluti me reddis fructuum, quos semina scientiae ferunt *Tibi* primum a me tradita. Sed largior adhuc messis *Tibi* exspectanda est. Conferret patria reduci industriae praemia. Haec laeta, filium recipiet literis tam probe excultum, tam aptum bono publico promouendo, haec demum merita *Tua* digne remunerabitur. Quos industriae *Tuae* fructus, si mox *Te* percipere audilero, id gratiorem adhuc reddet *Tui* memoriam, cum iam ceteroquin inter illos auditorum meorum sis, quorum nunquam sine voluptate recordor. Vale, & quod huc usque semper fecisti, me amare perge.

Scrib. Lipsiae e Musaeo, Mensi Jun. A. R. S.

MDCCXXXVII.



Lipps, Diss., 1737 A-C

VD 18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IVRIDICA  
DE  
**FIDEICOMMISSO**  
**NVTV RELICTO**  
QVAM  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
CONSENSV  
P R A E S I D E  
**Dn. ABRAHAMO KAESTNERO**  
IVRIVM DOCTORE ET PRACTICO  
IN  
AVDITORIO ICTORVM PETRINO  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
**ADAMVS Christlieb Schö<sup>n</sup>**  
GORLIC. LVSAT.  
AVCTOR RESPONDENS.

DIE XIV. Ivnii, ANNO MDCCXXXVII.

LIPSIAE  
LITERIS RICHTERIANIS.

